IVS OBSIDVM INVITORVM
ET
CITRA CONVENTIONEM CVM ADVERSA PARTE
CAPTORVM ATQ. RETENTORVM

EX LEGIBVS ROMAN· GENTIVM ET S· R· I· PVBL

PRAESIDE

CHRISTOPHORO LVDOVICO CRELLIO
I· V· D· IVR· NAT· ET GENT· ITEMQVE POET
PROF· PVBL· ORDIN
FACVLT· IVRID· ASSESSORE

IN AVDITORIO ICTORVM
AD D· DECEMB· A· Q· S· P· E· cIↄ Iↄcc XXXIIII
DISPVTABIT
AVCTOR

HIERONYMVS FRIDERICVS DE STAMMER
EQVES LVSAT

VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

Digitized by Google

CLAVDIAN. DE CONS. HONOR. VI. u. CCXLVIII

NVLLA EST VICTORIA MAIOR
QVAM QVAE CONFESSOS ANIMO QVOQVE SVBIVGAT
HOSTES

NOn ſine Dei immortalis prouidentia et nutu accidit, ut in motu horum temporum, et magna rerum omnium conuerſione, cum POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS AVGVSTI III. Patris Patriae incomparabilis, DOMINI mei longe clementiſſimi, exercitu, INVICTISSIMAE RVSSORVM IMPERATRICIS arma, et conſilia, coniungerentur. Enim uero VIRTVS et FORTVNA, quarum miniſterio ſupremum Numen res ſecundas et aduerſas inprimis adminiſtrat, et quae in utroque SVMMORVM FOEDERATORVM tam conſpicuae, atque inter ſe connexae ſunt, quantum ILLI inter ſeſe coniunguntur, quid efficere poſſint, experiri, et, in tanta exſpectatione omnium gentium, documento quodam comprobare uelle, uidebantur. Neque enim res caruit euentu: quandoquidem tot partae uictoriae, tot difficultates ſuperatae, ordines ad concordiam adducti, pax fere reſtituta, res tam multae, tam feliciter, tantique exempli, geſtae, docent humanum genus, quibus uirtutibus non ſolum quaeratur uictoria, ſed, qua moderatione etiam uictoriae obſequio, alias, docente

VALERIO, (a) promptiſſime licentiam ſuppeditantis, reſiſti poſſit, quibus conſiliis ius gentium, ſancta et inuiolabilia omnia, ſeruari debeant, et feliciſſime defendi

Inprimis uerſatur ante oculos, qua magnitudine animi COHORTES SVBSIDIARIAE GALLORVM, teſtes tantarum tamque incomparabilium uirtutum, ſuperiori aeſtate, prope Viſtulamundam, nobile ad oſtium Viſtulae munimentum, perpulſae ſunt ad deditionem, (b) et, conſcripta utrinque formula, in fidem, cui ſe permiſerant, acceptae: qua facilitate Coroniam, in nobilem portum maris Baltici, quod praefectus ipſorum pactus erat, (c) auectae: quo iure, ob iniuriam a claſſe Gallorum interea acceptam, et ob naues Ruſſorum contra ius gentium ſurreptas, tanquam OBSIDES retentae, ſed liberaliſſime habitae, multisque beneficiis ornatae ſunt, donec, nauibus redditis, eo, quorſum prouehi uoluerant, perducerentur. Sed cum ipſis Gallis ueritas extorqueat, ut tantas laudes, quarum praeſentes illos documenta capere fortuna uoluit, reticere non poſſint, ipſique non ſolum bello, ſed, quae teſte LIVIO (d) uera uictoria eſt, iure gentium ſe ſuperatos eſſe, libere profiteantur; operae pretium uidetur, ipſa Auguſtiſſimae Imperatricis, rei geſtae rationes exponentis, uerba, fide tabularum Lugdunenſium (e) per multas Europae partes uulgatarum, recitare

„Les dernieres lettres de Petersbourg portent, que c'eſt „a Cronſtadt, qu'on a conduit les troupes de France, qui „ont campé ſous le canon du Fort de Weichzelmunde, qu'elles „ſont au nombre d'enuiron 2000 hommes, et y ſont bien „traitées par ordre de l'Imperatrice, et que Mr. de la Mothe, „qui les commande, a depeché un Officier a la Cour de „France auec la declaration ſuiuante, qui lui auoit été remiſe „de la part de Sa Mai. Imperiale

„Les

a) Valer. Max. VI. 5. 1.
b) Allerneueſter Kriegs-Staat P. IX. p. 775.
c) Ibid. Capitul. art. 7. p. 776.
d) Liu. L. XLII. c. 47.
e) Supplement de la gazette de Leyde No. 65. du 13. Aout. 1734.

„Les troupes françoiſes enuoyées par la France au ſe-
„cours de la uille de Dantzig, ayant été reduites par les Ar-
„mes de Sa Maieſté Imperiale de toutes les Ruſſies, a la ne-
„ceſſité, de ſe rendre par accord, en uertu duquel elles ſe-
„roient transportées dans un des ports de la Mer Baltique,
„ou elles pourroient aiſement être embarquées ſur des
„Vaiſſeaux Marchands, Sa Maieſté Imperiale declare, que
„ſon intention n'a pas été, et n'eſt pas encore, d' enfreindre
„en aucune maniere la Capitulation accordée aux ſusdites
„trouppes; Mais l'Eſcadre Françoiſe enuoyée dans la Mer
„Baltique ayant cependant

„I. attaqué, ſans qu'il y ait eu aucune declaration de
„Guerre entre la Ruſſie et la France, et pris en pleine mer
„un Paquet-Bot, et deux Galiotes, et en dernier lieu une fre-
„gatte Ruſſienne, fait priſonnier, et amené auec ſoi tout l'
„Equipage desdits Vaiſſeaux, et ſaiſi les Effets et Marchan-
„diſes, qui s'y trouuoient, et enuoyé la Fregate meme en
„France

„II. Quoyque cette Fregate et Vaiſſeaux mentionnez,
„n'euſſent commis de leur part aucunes Hoſtilitez contre les
„Vaiſſeaux François, la Fregate Ruſſienne, n'ayant eu aucun
„ordre d'en commettre, et les autres Vaiſſeaux n'étant
„point du tout armez, mais ſeruant uniquement a entrete-
„nir la correſpondance, entre Cronſtadt et Lubec, et a trans-
„porter les Paſſegers et leurs Effets d'un endroit a l' autre,
„comme cela ſe pratique depuis pluſieures années

„III. Lesquelles hoſtilitez commiſes de la part de la
„France ont d'autant plus lieu de ſurprendre, que de la part
„de la Ruſſie, on n'en a commis aucune enuers la France,
„mais bien au contraire le Commerce des Marchands et Su-
„iets François ayant eû ſon libre cours, ſans aucun empeche-
„chement ou interruption, iusques a ce iour dans les ports
„de la Ruſſie

„IIII. De telles demarches et procedures de la part de
„la France enuers la Ruſſie, etant tout a fait contraires au
„Droit des Gens, et aux coutumes recuës et uſitées entre

 „toutes

„toutes les Nations meme les moins ciuiliſées, qui ne com-
„metent point d'Actes d'Hoſtilité, ſans auoir préalablement
„declaré la Guerre. *C'eſt pour ces raiſons, que Sa Maieſté Im-
„periale ſe trouue en droit, et meme en deuoir, de retenir les
„Trouppes Françoiſes mentionées par droit de Repreſſailles, ius-
„ques a ce que la Fregate nommée Mitau ſoit reſtituée*, auec
„tout ſon Equipage, c'eſt a dire, le Capitaine, les Lieute-
„nants et les autres Hauts- et Bas-Officiers, Soldats, Mate-
„lots, et autres du premier, iusque au dernier, ſans en ex-
„clure qui que ce ſoit, et ſous quelque prétexte, qûe ce puiſſe
„etre, auec tout le Canon, Munitions, et touts les Effets, en
„un mot dans le méme état, ou elle ſe trouuoit lorsqu'elle
„fut priſe par les Vaiſſeaux François, de meme que tout l'
„équipage et Monde auec touts les Effets pris et enleuez
„des autres trois uaiſſeaux mentionnez, et que tout cecy ſans
„aucune exception ou detention ait été renuoyé reellement,
„reſtitué et deliuré dans un des Ports de la Ruſſie

„Et quoyque Sa Maieſté Imperiale ſe trouue obligée
„par les raiſons ſusdites de retenir ces troupes françoiſes,
„iusqu'a ce, qu'on ait entierement ſatisfait de la part de la Fran-
„çe a ces iuſtes pretentions de Sa Mai. Imp. Elle declare tout-
„tesfois, qu'en attendant, elles ſeront traitées d' une maniere
„conuenable a la condition d'un chacun, et qu'on aura tout
„le ſoin neceſſaire, pour leur entretien et ſubſiſtance, ſelon
„qu'on en conuiendra plus particulierement auec l' Officier,
„qui les commande, auquel Sa Mai. Imperiale accorde auſſi
„la permiſſion, d' enuoyer en France quelqu'un des ſiens,
„muni de bons paſſeports, pour y porter cette Declaration,
„et pour effectuer d'autant plutòt une promte reſolution, et
„la ſatisfaction demandée ci-deſſus, afin que les troupes fran-
„çoiſes puiſſent être inceſſament renuoyées en France; et que
„de la part de la Ruſſie, dans ce cas la, cette Reſtitution ſe
„puiſſe faire ſans delay, on laiſſera ces troupes dans un lieu
„uoiſin de la Mer Baltique, ou elles peuuent auſſi-tôt etre
„embarquées, pour s'en retourner en France, a quoy on ap-
„portera toute ſorte de facilitè et on leur donnera toute l' aſ-
„ſiſtance

„ſiſtance neceſſaire. Fait a Petersbourg. le 16. Iuillet, „1734.

Cuius rei admiratione cum defigeretur animus, ad ſuſcipienda uota, pro ſucceſſibus rerum ſecundarum, et proſperrimis euentis, mirifice concitatus; uiſum eſt, IVS OBSIDVM INVITORVM hoc exemplo diſcere, et generatim, quid de OBSIDIBVS inuita parte aduerſa CAPTIS ET RETENTIS, gentium, et ciuili, et S. R. I. publico iure conſtitutum ſit, breui commentatione enarrare

II

OBSIDES ETIAM INVITI CAPTI ET RETENTI IVRE OBSIDVM CENSENTVR

Neque enim dubito, quin illi, qui uel nulla conuentione obligati ſunt, ſed, inuita parte aduerſa, aut CAPTI, aut RETENTI, recte OBSIDES dicantur. Res careret dubitatio„ne, niſi GROTIVS (a) obſtaret, qui, in unam cauſſam da„tos obſides, in aliam cauſſam, ait, non recte retineri: At, „ſi in alia cauſſa fides iam uiolata ſit, aut contractum debi„tum, iam obſides retineri, non ut OBSIDES, ſed eo gen„tium iure, quo ciues ex facto imperantium detineri poſſunt, „κατ' ἀνδροληψίαν

Igitur uidetur GROTIVS, non agnoſcere OBSIDES, niſi iure pignoris expreſſi, et conuentione partium, obſtrictos. Verum, ſi quid uideo, non id agit Grotius, ut neget, obſides ob cauſſam datos, et, ſoluto illo uinculo, κατ' ἀνδροληψίαν, propter alias, atque nouas obligationes, poſtea retentos, IVRE OBSIDVM cenſeri; ſed docet duntaxat, impleta fide pactorum, ad quam ſanciendam dati erant obſides ab aduerſa parte, deſinere ipſos eſſe obſides ex priori cauſſa, poſtea uero, ſi ob nouum debitum retineantur, ipſos NOVO OBSIDVM IVRE, κατ' ἀνδροληψίαν obligari

Enimuero non potuit negare Grotius, obſides etiam longius, quam ab initio conuenerat, ex cauſſa probabili retentos, porro etiam OBSIDES dici poſſe. Eſt enim expeditum inter omnes, obſides quaſi iure quodam PIGNORIS obſtringi.

a) Grot. de Iure Bell. et Pac. L. III. c. 20. §. 55.

gi. Certe promiſcue OBSIDES et PIGNORA dicuntur. LIVIO teſte (a) Cloelia, quae, expreſſa neceſſitate dandi obſides, ipſa etiam Porſennae tradita fuerat, cum mox fruſtrata cuſtodes, inter tela hoſtium Tiberim tranaſſet, et ſospes Romam perueniſſet ad propinquos, deinde, poſcente Porſenna, tanquam PIGNVS PACIS, ex foedere, reſtituta eſt. TACITVS etiam (b) aliquando centuriones, tribunosque in Gallia genitos, OBSIDES, tanquam PIGNVS aliquod ſocietatis, reſeruatos, narrat. Auguſtus, ſi SVETONIO TRANQVILLO (c) fides eſt, nouum genus OBSIDVM, foeminas, exegit; cum negligi marium PIGNORA intellexiſſet. Imo uero alio loco LIVIVS (d) explicate, OBSIDES docet in PIGNVS fidei deſiderari: et (e) unum illud PIGNVS, datos Annibali OBSIDES, inclinatos ad Romanorum ſocietatem omnium Hiſpaniae populorum animos moratum eſſe, ne ſanguine liberorum defectionis culpa lueretur. Si quis Liuio diffidat, audiamus TVLLIVM qui (f) Caeſaris ſententiam, quam PIGNVS dicere uoluerat, OBSIDEM perpetuae in rempublicam uoluntatis appellauit: et ipſe (g) libertatem populo Romano, praecipuum animi ſui OBSIDEM reliquit

Itaque apparet, ueteribus eadem et pignora et obſides fuiſſe. At uero nemo dubitat, ad conſtitutionem pignoris non ſemper conuentionem partium deſiderari, ſed etiam illa, quae citra conuentionem, iure quodam, aut capta, aut ab aduerſariis retenta ſunt, PIGNORA, quorum numero et OBSIDES habentur, appellari. Certe MARCIANVS l. 12. §. 6. D. *Qui pot. in pign.* etiam INVITO debitore interdum, ait, rem IVRE PIGNORIS teneri: itemque VLPIANVS l. 15. D. de CAPTIV ciuem redemptum ab hoſtibus, ante luitionem, et priusquam redemptionis pretium uictori offeratur, ab aduerſario deten-

a) Liu II. c. 13.
b) Tacit. Hiſt. IV. c. 60.
c) Suet. in Vita Aug. c. 21.
d) Liu. L. 42. c. 39.
e) Liu. L. 22. c. 22.
f) Cic. in Catil. IV. c. 5.
g) Cic. Or. Antequ. iret. in exil. circa fin

detentum, IVRE PIGNORIS uideri obligatum: quamuis creditori non ſit traditus, ut pignus pretii redemptionis: e alio loco, l. 20. §. 1. D. *qui teſt. fac. poſſ.* illum, qui redemptus ſit ab hoſtibus, quamuis ſeruum non eſſe placeat, tamen iubet, VINCVLO quodam PIGNORIS omnino retineri, donec pretium ſoluatur. Quod, ne cuiquam durum uideatur, GORDIANVS etiam l. 2. C. de *Poſtlim. reu.* ab hoſtibus redemptos, quoad exſoluatur pretium, magis in cauſſam PIGNORIS CONSTITVTI, quam in conditionem ſeruilem, detruſos uideri, tradit, neque NATVRALIS PIGNORIS uinculum prius, quam ſoluto pretio, diſſolui; cum, quamuis non conuenerit de pignore, tamen naturalis ratio doceat, rem alterius, quam poſſidemus, donec nobis ſatisfiat, pignoris quodam iure, retineri

Ex quibus rebus apparet, uſu ueterum, non res duntaxat, ſed etiam homines, priusquam quod nobis debetur, exſolutum ſit, citra conſenſum partium, retentos, PIGNORA et OBSIDES recte nominari

Quod ſi quis noſtrorum temporum mores nobis obiiciat, diluit dubitationem BARBYRACIVS (a) qui, „par droit „de Repreſſailles, inquit, on peut garder les hommes, jusques a ce, que l'on ait obtenu ſatisfaction: de ſorte que, pen„dant tout ce tems là, ils ſont, comme EN OTAGE. Adeoque patitur, illos, qui inuita parte altera detineantur, iure OBSIDVM haberi. Quod, quando permiſſum ſit, erit deinceps locus exponendi.

III

OBSIDVM GENERA DIVERSA

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, intelligetur, iure OBSIDVM cenſeri, quicunque iure pignoris cuſtodiuntur ab aduerſa parte, donec ipſi ſatisfiat: ut officia gentium, citra contentionem armorum, quodam uinculo contineantur. Enimuero, cum ad colenda officia amicitiae, et ſanctiſſimam coniunctionem facti ſimus, atque a natura inprimis compa-

 rati:

(a) Barbeyrac. ad Puffendorff, I. N. et G. VIII. 6. 13. not. 1

rati; intereſt generis humani, eſſe aliquod uinculum inter gentes, quo FIDES mutua, ſocietatis anima et neruus, obligetur. Et quia licentiam, et ſtudium nocendi, uel in debilibus et feſſis, impotentia animi, et impunitatis ſpes, accendit; frenis quibusdam opus fuit, quibus iniuria coerceatur: adeoque excogitari aliquid debuit, quo effici poſſit, ut inter illos etiam, qui nullo ciuili iudicio tenentur, et qui, iuris experiundi cauſſa, trahi ad Praetorem nequeunt, ius ſuum cuique tribuatur

Sed, quia ius cognationis et neceſſitudo, qua omnes inter nos coniungimur, iubet irae imperare, hominem homini parcere, nihil, ſi res patiatur, durius et incontinentius in alterum conſulere, mediis duris et noxiis, ſi mitiora ſuppetant, omnino abſtinere, ante omnia molles aditus tentare, et temporum opportunitates obſeruare; uidetur conuenire gentium officio, ut nihil intentatum facile relinquant, priusquam ad irarum, et armorum publicum certamen, quod BELLVM dicimus, perueniatur. Quapropter, cum, teſte LIVIO, (a) illis demum iuſta ſint arma, quibus nulla, niſi in armis, ſpes relinquitur: humanius plerique cenſuerunt, paucos potius ſenſu aliquo incommodorum affici, quam, captis armis, omnia officia, et communem gentium ſecuritatem, perturbari. Nihil uero efficacius ad humanum ingenium eſſe, uiſum eſt, quam, amore liberorum, quibus nihil humano generi carius, (b) fidem gentium obſtringi, et imperatis OBSIDIBVS, traditoque in cuſtodiam flore iuuentutis, perfidiae periculum auerti. ROMANI certe ſuſpecta omnia habebant, prodique rempublicam credebant, niſi acceptis obſidibus, et pignoribus ſocietatis, publicae ſecuritati caueretur. AVGVSTVS, quod ſupra obſeruatum eſt, (c) cum negligi a barbaris obſides maſculos uideret, foeminas popoſcit, quas maiori ſolicitudine cuſtodiri a parentibus, et, propter lubricitatem ingenii, et imbecillitatem animorum, ciuibus ſuis, et paren-

(a) Liu. L. IX. c. 1.
(b) Liu. I. c. 9.
(c) Suet. in Vita Aug. c. 21.

parentibus inprimis, commendatiores eſſe intellexerat: ut tanto magis memores eſſent officii, et promiſſorum, quanto maiorem curam pro illis ſuſcipiebant, quas, ſi fidem fefelliſſent, uidebant in periculo uerſari. Certe VLPIANVS l. 1. §. 1. D. ad *L. Iul. Mai.* illos maieſtatis crimen contraxiſſe cenſuit, quorum opera, et dolo malo, conſilium initum fuerit, ut OBSIDES, iniuſſu principis, interciderent: cum ſpes pacis, et ſecuritatis, cuſtodia OBSIDVM inprimis uideretur contineri

Sed quamquam iuris inter gentes aequatio praecipit, ut ne, quae ipſe auidius a ſociis exigas, ipſe etiam illis dare, et offerre, cum res poſtulet, tergiuerſeris; tamen a Romanis obſides, quos ipſi cupidiſſime a gentibus poſcebant, non niſi in ſummis difficultatibus impetrabantur. LIVIVS (a) aegre extortam Romanis a Porſenna neceſſitatem, dandi obſides, teſtatur, cum ipſe praeſidium Ianiculo deducere, niſi datis obſidibus, negaret. Certe SCAEVOLA l. 4. D. ad *L. Iul. Mai.* niſi forte de reddendis obſidibus intelligendus eſt, non uult fidem populi Romani datis obſidibus obſtringi; ſed illos, quorum dolo malo factum erit, quo magis obſides dentur hoſtibus populi Romani, ait, Lege IVLIA, et maieſtatis crimine, teneri. Hoſtile enim, et abominandum, uidebatur, dare operam, ut ciues Romani in poteſtatem hoſtium omnino peruenirent. Quandoquidem illorum libertatem prodi, ipſosque in ſeruitutem aliquam detrudi exiſtimabant, qui hoſtibus populi Romani, iure OBSIDVM cuſtodiendi traderentur. Teſte enim VENVLEIO l. 2. D. de *Hom. lib. exhib.* non multum a ſpecie ſeruientium differunt, quibus non datur facultas recedendi: ut uideantur eſſe in ſeruitute, qui ab aduerſariis, donec ipſis ſatisfiat, per tempus aliquod detineantur

Quae cum ita ſint; effecit ſeruitutis odium, et fauor libertatis, inprimis uero mirifica illa dulcedo patriae, qua plurimi tenentur, ut inuiſa eſſet obſidum conditio Romanis, et, ſi uel quaereret reſpublica, quos in ſummis neceſſitatibus aduerſariis daret obſides, inuenirentur pauci, qui in illam condi-

(a) Liu. II. c. 13.

conditionem CONSENTIRENT, et aequo animo tradi ſe hoſtibus populi Romani paterentur: pauciores SPONTE ſe offerrent; plurimi INVITI, atque obluctantes, in illam ſeruitutem traherentur. Enimuero cum et ſapientiſſimus ille apud TVLLIVM (a) Ithacam, patriam, in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam immortalitati antepoſuerit; quem non Roma, urbs urbium, mutanda exilio, quod obſidibus per tempus aliquod imperabatur, commoueret. Neque tamen tam ſterilis magnorum ingeniorum, aut tam effoeta fuit Roma, quin aliquando quendam REGVLVM (b) gigneret, qui, fidei ſeruandae cauſſa, in poteſtatem hoſtium magno animo reuerteretur,

Interque moerentes amicos,
Egregius properaret exul.
Atqui ſciebat, quae ſibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimouit obſtantes propinquos,
Et populum, reditus morantem;

Quam ſi clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret

Enimuero SPVRIVS POSTHVMIVS ipſe auctor fuit, (c) ut nudus atque uinctus Samnitibus, magis in poenam, quam OBSIDIS conditionem, dederetur: ut populum religione, ſi qua eius ſponſione obligatus ſit, exſoluat. Sed haec Romana uirtus fuit, qua ſe ſuperari reliquae gentes tam aequo animo patiebantur, quam ipſum huius reipublicae imperium ferebant. Illud, contra, plenum erat perfidiae, atque Graecae uanitatis, quod THEMISTOCLES, (d) perſuaſit Spartanis, ut uiros bonos, nobilesque, quibus fides haberetur, altitudinem murorum exploraturos, mitterent Athenas, et interea ſe obſidem retinerent: ſed ſimul ipſe praecepit ſuis, ne

(a) Cic. de Orat. I. p. m. 181.
(b) Horat. III. Od. V. v. 47.
(c) Liu. L. IX. c. 8.
(d) Nepos in uita Themiſtocl, c. 7.

ne prius Lacedaemoniorum Legatos dimitterent, quam ipſe eſſet a Lacedaemoniis remiſſus. Eſt enim animi puſilli, magnitudinem animi uerbis oſtendere, et fraudi uirtutem et integritatem praetexere, factis turpitudinem, et inſidias prodere, et timoris inconſtantiam, et ineptiſſimam calliditatem

Imo uero, faciamus, ex animo Themiſtoclem Spartanis obſidem ſe tradidiſſe: Non bene de republica meritus fuiſſet, qui patriam ciue ingenuo, et in adminiſtrandis negotiis uerſato, ſpoliaſſet. Nimirum, ſi quis animi fuerit tam intrepidi, tam magni, qui ſe deuouere pro republica, et hoſtibus ſe obſidem dedere, atque in aduerſariorum poteſtatem peruenire, communis libertatis cauſſa, non detrectet; haec ipſa magnitudo animi, et inſignis uirtus comprobat, non recte illum hoſtibus ſe committere, et officio obſidum defungi, quod homines ingenii mediocris et infirmi, minori incommodo patriae, commodius obirent. Hoc eſt prodere, et deſerere rempublicam, ſi quis hoſtibus ſui poteſtatem, etiam PROPTER rempublicam, citra neceſſitatem faciat, de qua coram et praeſens habuiſſet occaſionem melius merendi

Sed haec utcunque aeſtimata fuerint; illud tamen intelligitur, quosdam non repugnantes, ſed uolentes, et CONSENTIENTES, tradi aduerſariis obſides, ſuoque exemplo comprobare, quod CICERO ait, (a) ſapientem nihil coactum facere, nihil inuitum, nihil etiam dolentem: alios SPONTE ſe periculo offerre: pleroſque trahi INVITOS atque repugnantes. Inter illos autem, qui INVITI hanc conditionem ſubeunt, alii parent reipublicae, et imperio majeſtatis, fidei inveniendae, atque obligandae cauſſa, aduerſariis ex pacto, et FOEDERE, TRADVNTVR, adeoque triſti officio, ſed neceſſario, et ſalutari in poſterum, de patria merentur: alii contra, CAPIVNTVR ab aduerſariis, qui ius gentium laeſum atque perturbatum eſſe crediderunt, et, citra patriae conſenſum, et conuentionem, pignoris iure obſtringuntur, donec laeſis ſatisfiat: alii denique, qui ob aliam cauſſam in manus aduerſariorum peruenerant, priori uinculo ſoluto, ob alias, et nouas obliga-

 tiones,

(a) Cic. Paradox. 5.

tiones, per tempus longius, quam conuenerat, in ipſorum cuſtodia, obſidum iure, RETINENTVR, donec de nouis etiam cauſſis, cum aduerſa parte tranſigatur

Sed de his quidem, qui INVITI DANTVR a republica, GROTIVS (a) Albericus Gentilis, (b) Pufendorffius (c) Buſius (d) Salmaſius (e) Conringius (f) expoſuerunt: et, praeter illos, inprimis lepidus eſt BALDVS: qui ad L. 2. C. *de Patrib, qui fil. diſtrax.* inuitorum, ait, nullam eſſe obligationem, adeoque ne DATOS quidem obſides inuitos, pro republica obſtringi: quaſi uero, a noſtro conſenſu pendeat, utrum uelimus maieſtati imperantium obtemperare, aut unquam ciuibus, poſtquam omnes in unius ciuitatis corpus coaluerunt, aliquid detrectare liceat, quod ad ſalutem uniuerſorum uideatur pertinere: aut quaſi MANIBVS deliberare ſit permiſſum, an iniuria ab OCVLIS, quibus totum corpus regitur, prohibenda ſit, illarumque miniſterium deſideretur: aut, quaſi in illis officiis, conſenſus ciuium neceſſarius ſit, ad quae obeunda, iure perfecto, etiam nolentes, atque obluctantes, obligantur. At uero, CAPTOS, citra conuentionem partium, et RETENTOS obſides, etiam SCHILTERVS, qui alias Ius obſidum commentatione luculenta comprehendit, uix in transcurſu attigit: quapropter dabo operam, ut de his quidem copioſius et diligentius tractetur

IIII

IVS ROMANVM NON PRORSVS PROHIBET NE OBSIDES INVITI CAPIANTVR

ROMANI quidem, quod ſupra diximus, duram conditionem OBSIDVM cenſebant. Quapropter PRAETOR, ut, qui liberum hominem retineat, illum exhibeat, l. 1. pr. D. de *Homine lib. exhib.* interdixit: quod VLPIANVS d. l. 1. §. 1. tuendae libertatis cauſſa factum eſſe, docet, ne HOMINES

LIBE-

(a) Grot. I. B. et P. L. III. c. 20. §. 52.
(b) Alb. Gent. I. B. 2. 19. p. 396.
(c) Puffend. I. N. et G. 8. 2. 6.
(d) Buſius Subtil Iur. 1. 17.
(e) Salmaſ. de mod. uſur. p. 112. et 531.
(f) Conring. ad Lampad. c. 9. §. 4. et 5.

LIBERI a quopiam detineantur. Sed idem tamen VLPIANVS l. 3. §. 5. D. *eod. tit.* generaliter, qui IVSTAM CAVSSAM habeat, hominis liberi omnino retinendi, illum, docet, non uideri, dolo malo facere: ideoque contra hunc non locum fore interdicto. Certe, iure gentium, et belli, TRYPHONINVS l. 12. pr. D. de *Capt. et poſtlim. reu.* tradit, qui in pace peruenerint ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſeruos effici, apud quos, iam hoſtes, ſuo facto homines liberi deprehendantur: adeoque patitur, gentes liberas, coercendorum aduerſariorum cauſſa, manum hominibus iniicere, et neceſſitatem hoſtibus imponere, ut caritate ſuorum a concertatione armorum, et contentione uirium, retineantur. Quamuis enim HONORIVS et THEODOSIVS, l. 20. C. de *Poſtlim. reu.* interdicat, ne prouinciales cuiuslibet ſexus, et conditionis, et aetatis, quos barbarorum feritas, captiuitatis neceſſitate transuexerit, inuiti a quopiam retineantur; tamen hoc non eo pertinet, quod IVRE GENTIVM, ne quis hominibus liberis uincula iniiciat, prohiberi credant; ſed, ne illi, qui in imperium Romanum reuerſi fuerint ex captiuitate, detineantur, a ciuibus, atque uſu libertatis, poſtliminio recuperatae, excludantur. Ita enim iidem Imperatores, l. 11. C. *de Epiſc. aud.* uoluntatem ſuam reſcripto interpretati ſunt, ne quis ROMANOS captiuos, qui reuerſi fuerint, teneat, aut iniuriis afficiat, et damnis

Itaque iure gentium licere uiſum eſt, ut, dum controuerſiae inter illas oriuntur, homines liberi ab hoſtibus in ipſorum ſolo deprehenſi, capiantur. PRIVATIS uero PAVLLVS ne quidem HOMINEM LIBERVM PIGNORI, neque filium familias a parente iure obſidis obſtringi l. 5. D. *Quae res pign.* permiſit: ſed eum, qui ſciens illum acceperit, relegatione iuſſit coërceri. Certe DIOCLETIANVS et MAXIM. l. 6. C. *eod.* qui liberos homines, pro pecunia, pignoris titulo acceperit, illum circumuentum eſſe, et obligationem pignoris conſiſtere non poſſe, docuerunt: Et IVSTINIANVS *Nov. 134.* c. 7. INIQVITATEM creditorum accuſauit, qui debitorum filios recipiant in PIGNVS, aut ſeruitutem, aut in conductionem:

nem: ut intelligatur, iure quidem Romano, liberorum hominum pignora non penitus probari.

Sed facilius admiſſum in SERVIS, ut iure pignoris detineantur. SEVERVS enim et ANTONINVS l. 1. C. de *Remiſſ. pign.* tunc demum, ſi ſciente eo, cui pignoris nomine obligatus erat ſeruus, manumiſſus ſit, obligationem pignoris remiſſam, cenſuerunt, et MARCIANVS l. 13. §. 6. D. de *Pign. et hypoth.* etiam STATV LIBERVM, id eſt, cui ſpes immineat accipiendae libertatis, hypothecae dari patitur, licet, conditione exiſtente, pignus euaneſcat.

Ne igitur exiſtimes, iniquum omnino Romanis ius CAPIENDI OBSIDES uideri. Priuatis in priuatos, eodem uſos iure libertatis, ius eſſe noluerunt; ne uis omnino fiat in republica, ne periculoſum ſit exemplo, illos, qui ipſi maieſtate imperii coerceantur, ſua auctoritate, alios, qui aequo iure cenſeantur, in uincula ducere, et priuatim detinere: cum eſſet facultas, ut experiundi iuris cauſſa adirent ad praetorem, et, edita formula, quod debeatur, impetrarent. Enimuero, ex eadem cauſſa, ne alia quidem pignora, quae in cuiusque bonis eſſent, capere licebat, ſine iudicis auctoritate, l. 3. C. *de Pign.* l. 2. et 3. C. *Si ex cauſſ. iudic.* quandoquidem, ſi ius reddi poſſit a praetore, aequitas poſtulare uiſa eſt, prius conuinci debitorem, priusquam, captis pignoribus, aut ſequeſtro, ad debiti ſolutionem compellatur. Quod HONORIVS et THEODOS. l. un. C. de *prohib. ſequeſt. pec.* praeceperunt. Nimirum hoc in ciuitate habet rationem, cum ſit periculum, ne cupiditate rerum homines accenſi, irae imperare nequeant, et latius uagentur, ſaepe in innocentes impetum faciant, et animi impotentia aliis moleſti ſint, a quibus ipſis nihil debeatur: quod aequitati naturali aduerſum eſſe, IMPERATORES l. un. C. *Vt nullus ex uican.* et Nou. 52. c. 6. cenſuerunt.

Verum enim uero, ita ius inter QVIRITES dictum eſt: Neque tamen hoc Romani ad GENTES LIBERAS proferri uoluerunt: quandoquidem et MARCIANVS l. 12. §. 6. D. *qui pot. in pign* itemque GORDIANVS, Imp. l. 2. C. de *Poſtlim. reu.* NATVRALE PIGNORIS uinculum, cui inprimis inter illos,

qui

qui nullo ciuili iudicio tenentur, locus eſt, etiam INVITO debitore, ab ipſo creditore conſtitutum, agnouerunt. Sed de hoc deinceps exponemus

V

IVS RETENTIONIS EX LEGIBVS ROMANIS

Vt uero appareat, ad uim in ciuitate prohibendam inprimis, interdictum eſſe ciuibus, ne debitores, captis pignoribus, ſine auctoritate praeſidis, coerceantur; audiamus PAPINIANVM l. I. pr. D. de *Pignor.* itemque Pomponium l. 51. D. de *Condict. Indeb.* qui poſſidenti facilius RETENTIONEM conceſſerunt, etiamſi aliquando non habeat PETITIONEM: quia non ſit periculum turbarum, et diſſenſionum, et tumultus (a) ſi pignora a poſſeſſoribus retineantur. Itaque NERATIVS l. 8. D. de *Incend. Ruin.* non dubitat, quin ratem ui fluminis in agrum meum delatum, retinere poſſim: neque prius domino illius poteſtatem faciendam, docet, quam ſi cautum fuerit, de damno praeterito reſarciendo. Neque POMPONIVS omnino l. 8. §. 6. D. *de Pignor. act.* debitoris deſiderat conſenſum: ſed, ſi plura mancipia pignori data fuerint, et quaedam certis pretiis ita uendiderit creditor, ut euictionem eorum praeſtaret, reliqua mancipia poſſe RETINERI, ait, donec ei de indemnitate caueatur. Quod ne quis exiſtimet CIVILI tantum IVRE introductum; PAPINIANVS l. 48. D. de *R. Vindic.* poſſeſſorem bonae fidei, qui praedium alienum ob ſumptus in illud factos retinet, contra petitorem, DOLI MALI exceptione oppoſita per officium iudicis, AEQVITATIS ratione defendi iubet, quamuis non ſit prodita actio, qua ſumptus poſt rem reſtitutam a domino petantur. Itaque DOLO MALO agit, qui non uult rem a poſſeſſore, donec ipſi de ſumptibus ſatisfiat, retineri. Ex qua re intelligitur, RATIONE NATVRALI introductum IVS RETENTIONIS, cum docente PAVLLO l. I. §. I. D. de *doli mal. except.* ideo praetor propoſuerit exceptionem doli mali, ne cui dolus ſuus per occaſionem iuris ciuilis proſit, contra NATVRALEM AEQVITATEM

(a) Cuiac. XVIII. Obſer. c. 10. Deſid. Herald. d. Rer. Iudic. Auct. II. 25.

TATEM. Quod adduxit GORDIANVM, ut l. un. C. *Etiam ob Chirograph.* ſoluto etiam iure pignoris, ſi illud adhuc poſſideas, te pignus reſtituere, propter EXCEPTIONEM DOLI MALI, non cogendum eſſe, exiſtimet, donec tibi pecunia, quae etiam ſine pignore debetur, a debitore offeratur. Quamuis enim ACCVRSIVS dubitet, et FRANCISCVS DVARENVS ad l. 7. §. 5. D. *ſolut. Matr.* contra ius retentionis diſputet; tamen illi LVDOVICVS VITALIS (a) huic SCHVLTINGIVS (b) ſatisfecerunt

Igitur, cum NATVRALIS RATIO perſuaſerit Romanis, ut a priuatis etiam pignora, quae poſſident, donec ipſis ſatisfiat, RETINERI patiantur; non eget diſputatione, quin illo iure, etiam inter gentes liberas, quae ſolis diuinis, inprimis naturalibus praeceptis obtemperant, locus fuerit OBSIDVM, inuita parte altera, RETENTIONI. Enimuero non circa bona duntaxat debitoris, ex Legibus Romanis, uerſatum eſt IVS RETENTIONIS, ſed, eadem ſuadente aequitate, poſſeſſoribus etiam HOMINES ſubinde, quamuis libertate reſtituta, RETINERE iure pignoris permiſſum. VLPIANVS certe l. 3. §. 3. D. de *Hom. lib. exhib.* ſi quis eum, inquit, quem ab hoſtibus redemit, RETINEAT, in ea cauſſa eſt, ut non teneatur interdicto: quum DOLO MALO non feciſſe uideatur. Itaque caret dolo malo, atque aequitatem ſequitur, qui retinet hominem ab hoſtibus redemptum, donec pretium ſoluatur. Praecipiente enim GORDIANO l. 2. C. de *Poſtlim. reu.* redempti ab hoſtibus, uerſantur in cauſſa PIGNORIS, et naturali PIGNORIS uinculo tenentur, donec numi, pro ipſis expenſi, redemptoribus reſtituantur

Enimuero, quis poſſit a ſe impetrare, ut SCHILTERO (a) conſentiat, qui negat, unquam recte hominem liberum pignoris iure retineri, ſed REDEMPTOS AB HOSTIBVS, donec pretium ſoluatur, in SERVITVTE adhuc detineri, ait, adeoque illos, non ut homines liberos, ſed, ut ſeruos, iure pignoris obſtrin-

(a) Ludou. Vital. Lect. Var. L. II. c. 18. in Theſ. Ottonis T. II. p. 682. (b) Schulting. Iuriſpr. Ante Iuſtin. ad Vlp. Tit. VI. p. 583. (c) Schilt. de Iure Obſid. c. XI. §. 3. p. 98. b.

obſtringi. Nam manifeſte obloquitur SCHILTERO VLPIANVS, qui l. 20. §. 1. D. *qui teſtam. fac. poſſ.* redemptum non uideri ſeruum, docet, ſed uinculo quodam retineri, donec pretium ſoluatur. Imo GORDIANVS etiam l. 2. C. de *Poſtlim. reu.* ab hoſtibus redemptos, magis in cauſſam PIGNORIS conſtitui, quam IN SERVILEM CONDITIONEM detruſos eſſe, tradit; ut dubitari non poſſit, in hac ſpecie, hominem liberum, PIGNORIS loco, etiam a priuatis poſſe retineri

Ceterum priuati carceres, poena conſtituta, a Zenone, *l. un. C. de Priu. Carc.* interdicti: quia Alexandriae et per Aegyptum homines facinoroſi ingenuis, iter facientibus, per inſidias ſubinde imminebant. Certe etiam hodie nefas eſt, hominem priuatim, ne in publicum procedat, per tempus longius, in carcere et cuſtodia teneri. Haud ita pridem, quod a DNO. PRAESIDAE accepi, ORDO ICTORVM VITEMBERGENSIVM mulcta dominum coercuit, qui ancillam, furti aliquantulum ſuſpectam, ſed ſeminudam, loco ſqualido, bis, circa mediam noctem, incluſerat, et diutius detinuerat, donec ſero illam lictoribus ad praetorem deducendam traderet. Sed VLPIANVS tamen l. 25. D. ad *Leg. Iul. de Adult. coerc.* contumeliae defendendae atque ulciſcendae cauſſa, marito permiſit, moram adultero iniicere, ne elabatur. LEGIS enim IVLIAE Capite quinto, cautum eſt, ut uiro, liceat, adulterum cum uxore ſua deprehenſum, quem aut nolit aut non liceat occidere, per uiginti horas diurnas nocturnasque continuas, TESTANDAE EIVS REI CAVSSA, ſine fraude ſua, iure retinere. Et haec uidetur eſſe ſpecies cauſſae iuſtae et probabilis, ob quam VLPIANVS l. 3. §. 4. D. *de homin. lib. exhib.* generaliter priuatis facultatem dedit, hominis liberi apud ſeſe ſine dolo malo retinendi

VI

IVS PIGNERATIONIS IN S. R. IMPERIO

SAtis, credo, comprobatum eſt, confirmatum eſſe Legibus Romanis IVS RETENTIONIS, quod ipſa aequitate naturali commendatur. Sed hoc durius, priuatos ipſos occupare pignora, ſine Praeſidis auctoritate: inprimis, ſi alius, pro alio, et is, qui nihil debeat, pro debitore, quibusdam incommo-

dis afficiatur. Hoc enim et ZENO l. un. C. *Vt nullus ex uican.* et IVSTINIANVS, Nou. 52. c. 1. atque etiam PONTIFEX c. un. *de Iniur. et damn. dat. in 6to* NATVRALI RATIONI ADVERSVM eſſe cenſuerunt: ne totum corpus ad tabem ueniat, ſi illi, qui conglutinati inter ſeſe, et connexi, tanquam membra coniunguntur, inter ſe aduerſi, bellum inteſtinum moliantur. GERMANORVM quidem, poſtquam a priſco ſtudio turbarum, et ſeditionum, moribus correctis, deſciuerunt, tanta fuit moderatio, ut, quamuis olim latrocinia, quae extra fines cuiuſque ciuitatis fierent, (a) nullam infamiam haberent, tamen ſuis ciuibus, ne ab exteris quidem, pignora capere, permitterent, ſine decreto maieſtatis. FRIDERICVS I. Imperator, incomparabilis exempli, cum Maſconenſis Vice-Comes quosdam mercatores Germanos rebus ſuis ſpoliaſſet, unum etiam captiuum per tempus aliquod retinuiſſet, Ludouicum Galliae Regem, antea per litteras Cancellarii ſui monuit, ut damna ſarciantur. Apud GOLDASTVM (b) enim extat exemplum harum litterarum: „Petimus, et, ex parte „Auguſti Sereniſſimi, ueſtram Excellentiam commonemus, ut „hominem et res retentas reddi faciatis. Alioquin, ſi damna „illiusmodi PER VESTROS NEGOTIATORES fuerint reſar„cita, aut ſi nouum teloneum, ad damnum reſarciendum, ſu„per ueſtros mercatores fuerit conſtitutum, ueſtra diſcretio „non grauetur„: Igitur, non, niſi cauſſa cognita, et cum cautione, ciuibus ius pignerandi exteros permittebatur. Quod Vir Illuſtris, AVGVSTINVS LEYSERVS (c) obſeruauit

Imo uero FRIDERICVS II. ciues Romani imperii, ne rebellibus quidem, quamuis ad arma uentum eſſet, pignora extorquere uoluit, ſe inconſulto: cum ſui eſſe arbitrii debeat, qua ratione immorigeri coërceantur. Itaque apud eundem GOLDASTVM (d) non niſi poſt preces ſupplices, mercatoribus

(a) Caeſ. B Gall. VI. c. 23. (b) Goldaſt. Conſtit. Imp. T. I. inter Conſtit. Frid. I. n. 20. p. m. 282. (c) Leyſ. Medit. ad Pand. T. I. Sp. 30. n. 4. (d) Goldaſt. Conſtit. Imp. T. II. inter Conſtit. Frid. II. n. 33.

ribus quibuſdam, quibus Anconitani nauem aliquam Venetias deſtinatam, cum mercibus, per uim abſtulerant, poteſtatem fecit, „ut, quamdiu Anconitani in rebellione perſtiterint, per mare et terram tantum ex bonis illorum capiant, „quo usque eis, in ualore unciarum auri centum, damnorum, „quae paſſi erant, cauſſa, ſatisfiat „

Ex quibus litteris diſcitur, nec temere, nec in infinitum ius capiendi pignora, ne aduerſos improbos quidem, in Germania conceſſum. Tantum abeſt, ut inter Ordines Imperii, qui in officio manſerunt, quamuis interdum cauſſae, propter quas inter ſeſe conquererentur, exortae fuerint, obtinuerit IVS PIGNERANDI. Enimuero cum aliquando ciuitas quaedam Imperii a Tuterdinis, ob hominem furti apud ipſos poſtulatum, ius impetrare non potuiſſet, idem Fridericus II. (a) interdixit: „ne ſine ſpeciali Imperatoris mandato REPRESSALIAS facere audeat, ſed ſi quid iuris ſe contra illos habe„re contendat, illud per Imperatoris curiam, quod ratio po„ſtulet, recepto prius oraculo Imperatoris, proſequatur „

Itaque, ne OB IVSTITIAM quidem, quod aiunt, DENEGATAM, pignerationes, quas, in eiuſmodi ſpecie, proprio nomine REPRESSALIAS appellant, in Imperio Romano carent reprehenſione; ſed in ius uocandus eſt ille, de quo habes cauſſam conquerendi, et forenſe bellum ei indicendum, cum quo controuerſiae exerceantur

Sed REPRESSALIIS quidem ob denegatam, iuſtitiam interdum aduerſus exteros, nunquam inter Ordines Imperii, niſi, cum armorum etiam certamen permittitur, (b) locus eſt. Ab his GAILIVS PIGNERATIONES hoc nomine SPECIATIM appellatas, quibus poſſeſſio defenditur, diſtinguit. (c) Hae ſubinde nihil uidentur uitii habere, ſi id agant partes, ut tantum retineant poſſeſſionem. ORDINATIO CAMERAE IMPERIALIS Part. II. tit. 22. pignerationes non omnino damnat, ſi qua inter Ordines. S. R. Imperio immediate ſubiectos, et qui ſuperioritate territoriali hodie utuntur, de POSSESSIONE RETINEN-

(a) Goldaſt. l. c. n. 20. (b) uid. Illuſtr. Leyſ. Med. ad Pand. T. I. Sp. XXX. §. 5. (c) Gail. de Pignerat. Obſ. 1. 4. ſq.

TINENDA, diſſenſio aliquando enaſcatur. Neque tamen temere illae in Imperio ſuſcipiuntur. Arctis GAILIVS limitibus ius pignerandi circumſcripſit. Inprimis, ſi homines, aut OBSIDES per uim capiantur, mandatis poenalibus, ſine clauſula iuſtificatoria, quam dicunt, locus eſt, quibus obſides et pignora iubentur continuo dimitti: data ab his fide, ſi cauſſa in iudicio probata fuerit, ſe in eius, qui ipſos ceperat, poteſtatem redituros: quod ut faciant, aliquando, cauſſa cognita, iuſſu iudicis, omnino adiguntur. d. cap. 22. P. II. *Ord. Cam.* d. A. 1555. Certe, praeſtita cautione de iudicio ſiſti, et iudicatum ſolui, confeſtim dimittendos eſſe, REC. IMP. SP. d. A. 1570. §. 84. ſanctiſſima conuentione definitum, et RECESSV DEPVTAT. SPIR. d. A. 1600. §. 36. ſq. et REC. IMP. RATISB. d. A. 1654. §. 138. ſq. copioſius deductum

SAXONES, ſi damnum datum fuerit, et ius uiae, aut paſcendi, aut ſimilia, inuito domino, per iniuriam uſurpata, etiam priuatis facultatem capiendi pignora, animalia inprimis, conceſſerunt. II. LR. art. 40. et 47. Si quis enim in ſuo ob cauſſam idoneam ceperit pignus, et iudici illud tradiderit cuſtodiendum, non ſolum impune eſt, ſed omnino fructuoſum: cum per pignerationem etiam praeſcriptio interrumpatur. Ita Sereniſſimo Legislatori Saxoni in Conſt. El. 7. et 8. P. II. uiſum eſt. Neque tamen ullius rei ſtudium Saxonibus omnino maius, cura libertatis. Ideoque moribus obtinuit, ut HOMINES capere non liceat, ne quidem ſeruos alienos, ut iure pignoris, aut obſidum, cuſtodiantur: Lib. 2. LR. art. 34. utque iudex etiam, qui reum carcere, per iniuriam, detinuit, mulcta, ob iniuſtum carcerem, coërceatur

Certe priuatis nefas eſt, PIGNERARI HOMINES, et ducere in captiuitatem. Tractata eſt eiuſmodi ſpecies haud ita pridem in Iudicio prouinciali Luſatiae inferioris. Duo uicini, de paſcendi iure controuerſiam habebant. Alter prior alterius animalia iure pignoris ceperat, et ad iudicem adduxerat cuſtodienda. Alter, ut par referret, et ne cedere uicino uideretur, ipſe etiam poſtea binos uicini boues, et binos paſtores, gregis duces, pigneratus erat. Quod ad ius paſcendi, dubia

dubia uictoria diſceptabatur. Itaque utriuſque poſſeſſio, ſeu compoſſeſſio, quam dicimus, defenſa. Sed reus, qui paſtores abduxerat captiuos, ſententia monitus, ut repreſſaliis omnino abſtineret: Daß Beklagter derer unzuläßlichen Repreſſalien hinführo bey willkührl. Straffe, ſich zu enthalten ſchuldig. Et hoc quidem iure in Saxonia utimur

VII

VSV GENTIVM FREQVENTATVM EST VT CAPIANTVR OBSIDES ET RETINEANTVR

Itaque, IVRE GENTIVM duntaxat, obtinuit, ut, ſi ius impetrari non poſſit, ob iniuriam acceptam, ciues illius reipublicae, quae illam intulit, etiam inuiti atque innocentes, CAPIANTVR IVRE OBSIDVM, aut, ſi in partis laeſae poteſtate fuerint, donec ſatisfiat, in cuſtodia RETINEANTVR. Quae res quam acerbe a quibuſdam accuſata fuerit, et ſupra indicatum eſt, et GAILIVS (a) KOPPEN (b) et PESCHVVIZIVS (c) ſuo exemplo comprobarunt. Verum enim uero gentes, quae praetorem communem, a quo ius reddatur, adire nequeunt, natura docuit, ut ſecuritatem muniant, iniuriam propulſent, omni diuina, et humana ope, pericula auertant; quandoquidem ſenſu incommodorum, et metu turbarum, et moleſtiarum, homines magis, quam fructu bonorum praeſentium, et ſpe futurae uoluptatis, commouentur. Quapropter, cum iuſtitiae fruendae cauſſa ſocietates ineantur, atque omnia iura conſtituta ſint: ne per contentionem armorum confeſtim omnia diuina et humana perturbentur, OBSIDES etiam INVITOS, atque pignora capi, placuit, quorum caritate, atque deſiderio, gentes in officio contineantur

Sed ne cuiquam durum uideatur, INNOCENTES, forte fortuna in poteſtatem hoſtium delatos, propter delictum aliorum adduci in diſcrimen; exponendum eſt breuiter, quid ſua cuique INNOCENTIA debeat praeſtare. Nimirum, qui culpa uacant, in CONSCIENTIA rectae uoluntatis, quod TVL-

LIVS

(a) Gail. de Pignerat. obſ. 2. (b) Koppen. Deciſ. 41. n. 1. et 2.
(c) Peſchwitz. de Repreſſaliis c. 2. n. 22. ſq.

LIVS ait, (a) maximam conſolationem rerum incommodarum inueniunt; cum non ſit ullum magnum malum praeter culpam.

Conſcia mens, ut cuique ſua eſt, ita concipit, intra
Pectora, pro facto ſpemque metumque ſuo (b)

Itaque hoc cuique uirtus tribuit, ut non palleſcat, utque CVLPA ABSOLVATVR, ut pudore infamiae, et dedecore, et nota inter bonos liberetur. Quapropter inter illos, qui ciuili iudicio aut damnari poſſunt, aut abſolui, POENA etiam carebit, in quem culpa nequeat conferri. Hactenus a ſontibus INNOCENTES ſeiunguntur. Ceterum contra INFORTVNIVM, et caſum, atque uim maiorem, nemo ex innocentia praeſidium habebit.

Non meriti poenam pateris, ſed Numinis iram.
Eſt aliquid, magnis CRIMEN abeſſe malis. (c)

Igitur, quamuis impunitate dignus ſit, qui dedit operam, ut bene mereatur, tamen non tergiuerſabitur, quo minus, ut MEDIVM aliquod, et ſecuritatis communis, triſte quidem, ſed unicum, et neceſſarium INSTRVMENTVM, incommodo afficiatur: ne ad plura membra humani generis perueniat ſenſus calamitatis, quem pauci quidam poſſint commodius perferre. Enimuero, et animalibus ueſcimur, et pluribus rebus utimur, quas neceſſitas deſiderat, quas INNOCENTES eſſe, et crimine uacare, omnes profitemur; neque tamen dubitamus, quin illas ad uſum, ad quem procreatae ſunt, quantumlibet cum illarum incommodo coniunctum, liceat accommodare. Quapropter, cum ſit inter omnes expeditum, homines ſingulos inprimis procreatos eſſe propter uniuerſos, cumque, ſi rem ex naturali ratione, et Dei uoluntate, et iuris, quo utimur, aequatione aeſtimes, magis interſit, plures a periculo defendi, quam ſingulos duntaxat, atque paucos; nemo dubitabit, OBSIDES quosdam paucos, quamuis bonos, atque INNOCENTES, rectius aliquid calamitatis accipere, quam per contentionem armorum, ſi res aliter tranſigi non poſſit, gentes

(a) Cic. ad Fam. L. VI, ep. 4. n. 6. (b) Ouid. Faſt. L. I. u. 485. (c) Ouid. l. c. u. 483.

tes uniuerſas, pacemque omnium turbari, et in ſocietatem periculorum et calamitatum ciues multarum gentium adduci. Illuſtris LEYSERVS (a) optime BELLI argumento utitur: cuius incommodis cum omnino multi, qui nihil deliquerunt, attingantur; quis accuſet ius gentium, ſi impetus in paucos fiat, qui capiantur iure OBSIDVM, et finiendae controuerſiae gratia, per tempus aliquod retineantur

Sed aduerſatur VLPIANVS, qui l. 7. §. 1. D. *Quod cuiusque uniu. nom.* quod debet VNIVERSITAS, illud negat SINGVLOS debere: adeoque uniuerſos, ait, non ſingulos omnino recte conueniri. Enimuero, quae iure gentium adminiſtrantur, nihil ad praetorem. Hoc inter priuatos iuris eſt, ne alius pro alio conueniatur, aut ſinguli pro uniuerſis: quod et ZENO l. un. C. *Vt nullus ex uican.* et IVSTINIANVS Nou. 52. c. 1. docuerunt. Cum enim apud iudicem, in foro, lites et controuerſiae tractantur, habet rationem, ut ab illo, qui deliquit, duntaxat poenae expetantur. At uero inter gentes, quis patet exteris aditus ad illos, qui ius gentium perturbant: quomodo continebuntur in officio, et coercebuntur principes exteri, niſi quodammodo per iugula ciuium petantur illi, qui rempublicam ſua auctoritate adminiſtrant: ut ſuorum caritate moueantur, ne dent occaſionem litibus, et diſſenſionibus, qua peſte totum genus humanum affligitur atque perturbatur

Igitur qui gentes interdum armis inter ſeſe congredi, et bello de ſumma rerum decernere, permittit, ille patiatur neceſſe eſt, obſides etiam capi, ſi res poſtulet, et donec ſatisfiat, detineri: quandoquidem ipſi CAPTIVI, quos iure belli hoſtes in ſuam poteſtatem redigunt, ſi rem recte aeſtimes, ſunt quidam OBSIDES INVITI, quos minuendae controuerſiae, et quaerendae pacis cauſſa, capimus, et, donec tranſigatur, aut pretium redemptionis offeratur, retinemus

Sed praeter illa, quae adhuc diſputata ſunt, etiam alia cauſſa accedit, quae efficit, ut recte ciues, quamuis innocentes, capiantur. Enimuero cum totius ciuitatis corpus, MAIESTA-

D

(a) Leyſ. Med. ad Pand. T. I. Spec. XXX. §. 4.

IESTATIS arbitrio regatur, eiusque uoluntati ſe permittat, commodisque, quae a principe procurata, et ab exteris etiam ſubinde per illum impetrata ſunt, fruatur; conſequens eſt, ciues etiam ſingulos, quae a maieſtate ſuſcepta, et adminiſtrata ſint, agnoſcere debere, et, ſi quid inde incommodi exoriatur, ſi quae controuerſiae cum gentibus finitimis enaſcantur, partem aliquam communium malorum ferre et ſuſcipere, et, quae a principe TANQVAM EX VOLVNTATE OMNIVM geſta ſunt, etiam ſua calamitate luere, et expiare. Neque enim tam propter alienum facinus, quam propter ſuum, capiuntur ciues, qui propter controuerſias principum in periculum incurrunt; cum quae ab his geſta ſunt, NOMINE OMNIVM, et propter omnes, ſuſcepta uideantur. Simus igitur, quod TVLLIVS ait (a) ea mente, quam ratio et ueritas praeſcribunt, ut nihil in uita nobis praeſtandum, praeter culpam, putemus: et, ea cum careamus, omnia humana placate et moderate feramus. Illud exploratum eſt, leuandam eſſe innocentium aegritudinem, et calamitatem minuendam, damna etiam accepta, ſi poſtea ad ſuos reuertantur, diſſoluenda atque compenſanda, et, praecipiente PAVLLO, l. I. D. de *Leg. Rhod. de Iact.* quod propter omnes, et propter ipſam rempublicam amiſſum eſt, contributione omnium reſarciendum

VIII

EX QVIBVS CAVSSIS CAPIANTVR OBSIDES ET RETINEANTVR

Sed, cum nihil dulcius ſit uſu libertatis, nihil a conſilio, quo homines, conditi ſunt, et a natura procreati, alienius ſit ſeruitute, nihil inhumanius, quam temere et inconſulto aliquid moliri, quod cuiquam graue et moleſtum eſſe poſſe uideatur; efficit communis quaſi legis, et humanae conditionis recordatio, ut, quibus ex cauſſis manum hominibus liberis iniicere, et OBSIDES omnino aut CAPERE aut RETINERE liceat, expediendum ſit. Quae deliberatio tanto eſt dignior, tantoque magis neceſſaria, quanto rectius Abelox ille Hiſpanus apud LIVIVM (b) praecipit, nihil publice populis gratius, nihil

(a) Cic. ad Fam. L. VI. ep. I. v. 11. (b) Liu. L. XXII. c. 22.

nihil ad ſanciendas coniungendasque amicitias accommodatius, quam OBSIDES REMITTI: quemque ſibi potius, quam obſidibus, credi uelle, et habitam fidem, etiam ſine obſidibus, ipſam plerumque fidem obligare

Sed haec res quidem tota non ſolum ex RATIONE NATVRALI, ſed etiam ex VSV GENTIVM addiſcenda eſt: cum haec ſit conſuetudinis inter gentes auctoritas, ut facile ab illa diſcedi non poſſit: cum omnis nouitas ſuſpecta, nihilque certum, atque tutum uideatur, ſi temere inueterati mores deſerantur: cumque ſocietas humani generis omnino perturbetur, atque quaſi face quadam et tuba, ad diſcordiam et diſſenſiones exercendas, euocetur, ſi quid praeter expectationem, quod uſu gentium non ſit frequentatum, citra inſignem aliquam neceſſitatem, a quopiam ſuſcipiatur

Illud quidem apud omnes obtinet, non, niſi auertendi periculi maioris cauſſa, ex quo plus incommodi, quam ipſi obſides captiui ſentiant, reipublicae immineat, obſides aut recte capi, aut omnino retineri: cum parum abſit a furore, qui inſtrumentis noxiis utatur, ex quibus plus damni debeat timeri, quam ſperari poſſit uoluptatis, et emolumenti, ſi ipſe perueniat ad finem. Igitur in ipſa concertatione armorum, inque uſu belli, interdum CONTROVERSIARVM MINVENDARVM CAVSSA, obſides inuitis extorqueri placuit, quorum miſeratione, et amore, aut etiam iactura, hoſtes ſecum habitare diſcant, atque a contentionibus remittere, et ad pacem et amicitiam reuerti. Hoc ſemper agitur, quoties CAPTI AB HOSTIBVS in praeſidia cuſtodiendi deducuntur. Romani aliquando, teſte LIVIO (a) OBSIDES, quos Carthaginienſes ab omnibus Hiſpaniae populis acceperant, captos in caſtra deduxerunt, et reſtituerunt Hiſpanis, ut inclinatos ad Romanam ſocietatem animos, quos hoc unum pignus adhuc moratum erat, a Carthaginienſibus abſtraherent, hoſtiumque exercitum, defectione Hiſpanorum, obſidibus illorum Hannibali ereptis, debilitarent

(a) Liu. L. 22. c. 22.

Sed ſaepius, priuſquam ad armorum diſceptationem publicam perueniretur, ad PROPVLSANDAM atque ulciſcendam INIVRIAM, et DAMNA, quae accepimus, diſſoluenda atque SARCIENDA, obſides capti, et retenti. Ob NAVES quidem SVRREPTAS tanto frequentius, quanto certius illae, ſi ſemel captae et elapſae ſint, ſui ueſtigium non relinquunt, et quanto magis intereſt generis humani, commercia, etiam maritima, ſeruari, illoſque, qui tempeſtati et mari publico ſe committunt, et nullo alio praeſidio, quam ſecuritate publica utuntur, ab hominum iniuria defendi. Quod FRIDERICVS II. ob nauem Venetias deſtinatam, et ab Anconitanis rebellibus ſurreptam, mercatoribus facultatem dederit, mari et terra tantum ex Anconitanorum bonis capiendi, quantum ſufficiat ad damna ſarcienda, ex GOLDASTO (a) eſt a nobis ſupra comprobatum. Etiam VENETI, quod Illuſtris LEYSERVS (b) ex Nicephori Gregor. Libro IX obſeruauit, Genuenſium NAVES, repreſſaliarum iure, occuparunt, donec, reparato damno, cum mercibus, illaeſae reſtituerentur.

Igitur, non ſine exemplo, POTENTISSIMA RVSSORVM IMPERATRIX, ob NAVES ſibi SVRREPTAS, Gallos, qui in ipſius poteſtate uerſabantur, obſides retinuit. Sed praeter rationem TVRCAE aliquando, Anno C. 1644. ob naues ipſorum, iuſſu Melitenſium, captas, et abductas, ab omnibus Chriſtianarum gentium Legatis, ad quas illa controuerſia non pertinebat, res ſuas repetebant, et, ni redderentur, omnibus exitium comminabantur. Ita enim Iobus LVDOLFFVS (c) rem enarrat. Certe non cunctanter Turcae Anno 1659. ob nauem Gallicam, mercibus Conſtantinopolim deſtinatis oneratam, ſed a praefecto, culpa nautarum, priuata auctoritate, alio deductam, ipſum Legatum Gallorum comprehendi poſſe crediderunt, (d) et in uincula coniectum, per tempus non modicum detinuerunt: de quo iure deinceps ſtudioſius trademus.

Enim-

(a) Goldaſt. Conſt. Imp. T. II. inter Conſt. Frid. II. n. 33. p. 61. (b) Leyſ. l. c. p. 308. (c) Ludolffs Schau Bühne. T. II. p. 1172. (d) Ludolffs Schau Bühne. T. III. p. 1132.

Enimuero OB LEGATOS VIOLATOS, quorum ſanctitate gentium amicitia, et ſocietas generis humani inprimis continetur, homines innocentes capi, atque retineri poſſe, gentium uſu comprobatur; ut his ſecuritas praeſtetur, utque diſcant gentes, ea ſancta credere, quorum uiolationem damno luere coguntur. REX DANIAE aliquando, ſi VVIQVEFORTIVM (a) audiamus, ob Caium Ranzouium, a Batauis indignius acceptum, claſſem mercatorum Batauorum in freto Oreſundico retinuit; mox exſolutis triginta millibus, quibus iniuriam aeſtimauerat, dimiſit. BATAVI etiam A. 1655. talionis iure LEGATI ANGLICI SCRIBAM, ob Ordinum Generalium Legati ſcribam, in Anglia in carcerem coniectum, donec ipſis ſatisfieret, diligenti cuſtodia detinuerunt (b)

FRIDERICVS I. etiam ob mercatores Germanos, in Galliis bonis et fortunis ſpoliatos, PIGNERATIONEM, aut REPRESSALIAS, apud GOLDASTVM (c) Ludouico, Regi Galliae, minatur. Et generatim, quoties ob INIVRIAM, et damna accepta, ius non poteſt impetrari, aut generis humani intereſt, facinus exterorum ſine ultione non dimitti, pignora et obſides, ſine ulla fraude, capiuntur.

Illud ferri non poteſt, quod Themiſtocles machinatus eſt (d) apud Spartanos, quibus ſe ipſum OBSIDEM ſua uoluntate tradiderat, donec Legati ab Athenienſibus reuerterentur. Impetrauit enim a ſuis, ut legatos in uincula coniicerent, et, dum ipſe dimiſſus eſſet, retinerent. Hac arte effectum iri ſperabat, ut eluderentur Lacedaemonii, illiſque PIGNVS FIDEI, quod ipſis in ſe obtulerat, eriperetur. Eodem conſilio etiam VENETI (e) aliquando uſi ſunt, qui SILIVM atque VELANIVM, tribunos militum, commeatus petendi cauſſa a P. Craſſo miſſos, retinuerunt, quod, per eos, ſe ſuos obſides, quos P. Craſſo dediſſent, RECVPERATVROS exiſtimabant. Recte CAESAR iuſtam belli cauſſam

 ratus

(a) Wickefort l' Ambaſſadeur. L. I. Sect. 17. p. 188. (b) Aitzema, L. 45. p. 1017. et L. 46 p. 167. Bynckershoek de Foro Legat. c. 22. (c) Goldaſt. Conſt. Imp. T. I. p. 282. (d) Nepos in Vita Themiſt. c. 7. (e) Caeſ. B. Gall. L. III. c. 8.

ratus eſt, admiſſum a Venetis facinus, quo legati, quod nomen apud omnes nationes ſanctum, et inuiolatum ſemper fuit, RETENTI, et in uincula coniecti. (a). Enimuero, hoc eſt fidem fallere, diuina et humana omnia eludere, atque turpi fraude contaminare, ſi obſides, SANCIENDAE FIDEI cauſſa accipiendi, per inſidias, et calliditatem, citra iuſtam cauſſam, a gente quadam capiantur, ut ſuos obſides recipiat, qui aduerſariis ex pacto, et foedere debentur.

Ob DAMNA igitur duntaxat, et ob INIVRIAM acceptam capiuntur obſides, et retinentur. Sed non attinet monere, LIQVIDVM deſiderari DEBITVM, quod ICti aiunt: hoc eſt, debere eſſe EXPEDITVM, quod pars aduerſa, quam captis obſidibus coercemus, iure gentium nobis obſtricta ſit, ad damni dati reparationem. Enimuero ſi incerta ſint omnia, et perplexa, atque impedita, quis gentem genti uim facere, innocentes rapere, nihil tale meritos plectere, omnino patiatur? quis finis erit controuerſiarum, et diſſenſionum, ſi ob ſuſpiciones tenuiſſimas, et repentinas, exteri confeſtim in periculum et diſcrimen adducantur. IVS QVIRITIVM, cuius auctoritas quamuis gentes liberas non teneat, tamen, quoties aequitatis naturalis rationem ſequitur, etiam in publicis cauſſis in argumentum trahi poteſt, ne priuatis quidem permiſit, ut propter debitum incertum IVRE RETENTIONIS illiquido utantur. NERATIVS enim et ARISTO apud POMPONIVM, l. 5. pr. D. de *ſtatu liber.* de eo, quod OBSCVRIVS fuerit, poſſeſſori retentionem non concedunt: ne multis libertas extorqueatur INCERTA CAVSSA RATIONIS. Quis igitur in GENTIBVS hoc probet, quarum exemplo etiam priuati excitari debent, ad aequitatis habendam rationem, et officia colenda. Igitur ne in hanc reprehenſionem incurrant illi, qui iure pignora et obſides capiendi utuntur; receptum eſt, hoc denunciare parti aduerſae, ut admoneatur, niſi damnum diſſolutum, et compenſatum fuerit, OBSIDES captum, aut retentum iri, et locum repreſſaliis futurum. Illud cer-

(a) Caeſ. ibid. c. 9.

certe a FRIDERICO I. factum eſſe, priusquam aduerſus Gallos hoc iure uteretur, Illuſtris LEYSERVS (a) ex GOLDASTO annotauit

Neque tamen exiſtimes, NECESSITATEM gentibus impoſitam, ut prius denuncient, quam utantur iure repreſſaliarum. Saepe opportunitatibus utendum, quas quis deinde fruſtra exſpectauerit, ſi ſemel elapſa ſit occaſio rei feliciter adminiſtrandae. Igitur ſi res moram non omnino patiatur, et dubitatione careat, nobis iniuriam ab aduerſariis illatam; ſatis eſt, deinceps exponere, quo iure obſides retineantur. Certe RVSSORVM IMPERATRIX, ipſa etiam a Gallis, CITRA INDICTIONEM BELLI, armis infeſtis impetita, non habuit, cur uerborum honore uteretur, et conquereretur antea cum Gallis de cauſſa, ob quam cohortibus ipſorum, quae in poteſtatem eius peruenerant, manum iniecerit, illasque Iure gentium et belli retinendos exiſtimarit. Sufficit, haec poſtea expoſita fuiſſe.

Ceterum, ut media inprimis noxia et cum incommodo coniuncta, intra fines ſuos diligentius coerceantur; non uidetur facultas capiendi et retinendi obſides, iure gentium conceſſa in infinitum; ſed donec de damno ſatisfiat. REX DANIAE laudatur, quod retentas Batauorum naues, numeratis triginta millibus, qua ſumma iniuriam legato illatam aeſtimauerat, uinculo pignoris exſoluit, et iure gentium intactas atque liberas dimiſit. (b) FRIDERICVS II. etiam non paſſus eſt, ut ſui, ultra centum uncias auri, Anconitanis iure repreſſaliarum extorquerent. (c) Neque tamen quis commode ad digitum dinumerabit, quousque duret retentio, et quando damnum omnino diſſolutum eſſe uideatur. Enimuero propter exemplum intereſt, ut interdum etiam pluſculum repetas, quam alterius iniuria extorſerit: Certe et expenſarum habendam eſſe rationem, et alimentorum, et quae in ipſos obſides, dum detinerentur, collata ſunt, nemo dubitat; cum recte, etiam a priuatis, SVM-

(a) Leyſ. loc. cit. pag. 308. (b) Wicquefort. loc. cit. (c) Goldaſt. Conſt. Imper. T. II. pag. 61. n. 33. inter Conſt. Frid. II.

SVMPTVS a creditore AD SERVANDVM PIGNVS facti, actione pigneratitia contraria, ſuadente et ciuili iure, et naturali ratione, repetantur. POMPONIVS enim l. 8. D. de *Pigner. Act.* ob neceſſarias impenſas creditoribus concedit PIGNORIS RETENTIONEM

VIIII

NVMERVS CONDITIO ET STATVS OBSIDVM INVITORVM

Igitur OBSIDES inuiti hoc conſilio inprimis capiuntur, ut gentes ſuorum caritate, atque recordatione, in officio contineantur. Quod ut impetretur, inualuit, NOBILISSIMOS pleroſque CIVITATVM accipi, quorum cuſtodia illorum obligetur fides, a quibus reſpublica adminiſtratur. Galli apud CAESAREM (a) conqueſti ſunt, ſe NOBILISSIMOS ciuitatis dare OBSIDES, a Sequanis coactos: magnamque ſe calamitatem accepiſſe, omnem ſenatum, omnem nobilitatem, omnem equitatum amiſiſſe. CARTHAGINIENSES etiam obſides dederant PRINCIPVM LIBEROS, qui cum magna ui ſeruorum, quos in comitatu habebant, aliquando Setiae aſſeruabantur. (b) Nabidi quoque (c) imperatum, ut FILIVM ſuum Romanis traderet, pignus fidei, et induciarum. Germanorum olim ciuitates, quibus, inter OBSIDES, PVELLAE quoque NOBILES imperatae erant, efficacius obligabantur, (d) cum captiuitatem, foeminarum ſuarum nomine, longe impatientius timerent. Pro FRANCISCO I. eius filii OBSIDES oblati, donec pretium redemptionis ſolueretur. Sed hac deliberatione opus eſt, cum obſides ex foedere et pacto impetrantur. Atuero, cum inuiti CAPIVNTVR, aut etiam retinentur, qui in noſtra poteſtate ſunt, fortunae beneficio utendum eſt, et, quos illa obtulerit, accipiendi. Neque tamen a iure gentium alienum eſt, bellorum inprimis DVCES retineri, ſi ſors dederit illorum facultatem. Superiori tempore BOVFLEVRIVS Namurci captus, donec milites praeſidiarii Dixmudae capti redderentur, in cuſtodia retentus. Quod

(a) Caeſ. B. Gall. I. 31. (b) Liu. L. 32. c. 26. (c) Liu. L. 34. c. 35. (d) Tac. Mor. Germ. c. 8.

Quod cum accideret, per oſtentationem Gallicam, famoſum illud: *Je ſerai trembler le monde*, pronunciaſſe dicitur. Aliquando eodem iure RETENTIONIS uſi ſint principes, ſi TOTI EXERCITVS, et cohortes, in ipſorum poteſtatem peruenirent: inprimis ut, quidquid dignitati hominum decederet, numero compenſaretur. Clytus Praetor Acarnanum (a) id agebat, ut QVINGENTI MILITES, qui in praeſidiis poſiti erant, pro OBSIDIBVS FVTVRI, in Antiochi, Regis, uenirent poteſtatem. Si noſtrorum temporum mores deſideras, Albertus Marchio, capta Bamberga, teſte HORTLEDERO (b) Senatores, atque ciues octoginta cepit, et pro obſidibus retinuit. Adeo numerus non definitus naturali ratione. Tantum abeſt, ut RVSSORVM IMPERATRIX accuſari, aut, praeter exemplum gentium, aliquid molita uideri poſſit, quod, cum alii obſides non ſuppeterent, Gallorum ſubſidiarias cohortes retinendas cenſuit, donec naues redderentur. Apud GRAECOS tamen lege conſtitutum eſt, ut, ſi caedes facta eſſet, atque reus non confeſtim dederetur, agnati et gentiles, ad quos funeris procuratio, et officium caedis uindicandae, pertinebat, OBSIDES, NON VLTRA TRES, ab illis, qui denegauerint deditionem, caperent, *κατ' ἀνδρολῆψίαν*: quod G. BVDAEVS ex DEMOSTHENE et POLLVCE comprobauit (c)

Quia igitur, utcunque furtuna tulerit, OBSIDES INVITI capiuntur: humanae conditionis miſeratio poſtulat, ut cuſtodiantur quidem diligenter, ſed, pro ſua quilibet conditione, humaniter accipiantur, et tractentur liberaliter, nihil, praeter neceſſitatem, in illos committatur, qui nulla ſua culpa, propter patriae offenſionem, in manibus hoſtium uerſantur. Si ius impetrari non poſſit, cuius cauſſa obſides capti et retenti ſunt, aliquando durius cum ipſis agitur, ut commodius ad finem propoſitum perueniatur. FRIDERICVS I. cum a Mediolanenſibus fides, cuius ſanciendae cauſſa obſides dati erant, uiolata eſſet, illos turri ligneae, quam urbis CREMAE muris

E admo-

(a) Liu. L. 36. c. 11. (b) Hortled. de B. Germ. L. V. c. 5. p. 161.
(c) Budaeus ad Pandect. L. 16. §. 8. de Poen. p. 345.

admouere uolebat, alligauit, ut ne Cremenſes reſiſtere, neque turrim e longinquo lapidibus et machinis petere auderent, ſed, caritate liberorum et obſidum, quos, ſi quid molirentur, ab ipſis parentibus uulnerandos et conterendos eſſe intelligebant, turrim admittere omnino cogerentur. (a) Multi quidem ICtorum generatim, OBSIDES, SERVORVM loco habuerunt: quos MARCIANVS uidetur adiuuare, qui l. 31. et 32. D. de *Iure Fiſci*, OBSIDVM BONA, SICVT CAPTIVORVM, in fiſcum cogenda eſſe, ait, niſi, accepto togae uſu, ut ciues Romani ſemper egerint. Enimuero hoc exercuit ICtos. GREGORIVS LOPEZIVS MADERA (b) et PAGANINVS GAVDENTIVS (c) in diuerſa abierunt. Auſim affirmare, MARCIANVM non de obſidibus, quos Romani aliis dederint, ſed de illis, quos ab hoſtibus acceperint, et qui Romae uerſarentur, tractauiſſe. Enimuero, et uſus togae conceſſus, cuius MARCIANVS mentionem iniicit, de PEREGRINIS agi docet: et conſtat praeterea, obſides ciues Romanos, nullo iure alio, quam PIGNORIS, fuiſſe obligatos. Sed homines liberos, qui pignoris uinculo detinebantur, VLPIANVS l. 20. §. 1. D. *Qui teſt. fac. poſſ.* atque GORDIANVS l. 2. C. de *Poſtlim. reu.* non omnino ſeruos eſſe, tradunt. Ex quo apparet, in l. 31. et 32. D. de *Iure Fiſci*, OBSIDES peregrinos, ab hoſtibus populi Romani datos, tantum quoad teſtamenti factionem, CAPTIVIS comparari; quia haec, iure Romano, nec SERVIS, neque PEREGRINIS competebat. Ceterum non uidentur obſides ſeruorum numero fuiſſe; quamuis interdum priuatis cuſtodiendi traderentur (d) et cum captiuis ante currum ducerentur in triumpho (e) Quidquid illorum fuerit; hodie quidem, ſublata ſeruitute, parum uidetur inter obſides et captiuos intereſſe. Illud expeditum eſt, qui capti ſunt INVITI, eos captiuorum numero haberi, certe prohiberi uſu libertatis. Sed ne in captiuos quidem aliquid durius, praeter neceſſitatem, conſulitur. TESTAMENTI FACTIONEM quilibet, ut uiſum eſt, obſidibus

E 2 negat,

(a) Radeuicus de Reb. geſt. Friderici I. L. II. c. 47. (b) Lopez. Animadu. Iuris ciu. c. 18. in Otton. Theſ. T. III. p. 471. (c) Gaudent. Jurid. Expoſit. L. II. c. 32. loc. cit. p. 370. (d) Liu. L. 32. c. 26. (e) Liu. L. 34. c. 52.

negat, aut concedit. Naturalis enim ratio, cui liberae gentes obſequuntur, ignorat teſtamenta. Quid enim hoc iuris eſt, quod tibi demum, poſtquam fato conceſſeris, et poſt mortem aliquando, utile eſſe poſſit: et quid refert, ad quem bona tua poſt mortem deferantur. Priuato iure Principes hoc ſuis ciuibus liberaliter concedunt, ut ipſi poſſint heredem nuncupare. Quod uidetur introductum, ut ciues diſcant, bonis ſuis parcere, et furorem prodigorum, ob HEREDVM CARITATEM, ad quos ſciant bona eſſe peruentura, euitare. Igitur penes uictorem eſt, utrum uelit, obſides captiuos uti teſtamenti factione.

Sed, an FVGERE illis liceat, qui CAPTI, aut RETENTI ſunt, ambigitur: cum, docente AFRICANO, l. 60. D. de *Furt.* FVRTVM SVI faciat, qui fugit ex aliena, in qua conſtitutus fuit, poteſtate. GROTIVS etiam reſiſtit (a) qui ne captiuis quidem fugae dedit facultatem. Certe, patriae ſuae non multum proderunt, qui fugiant: cum illa, etiam obſidibus elapſis, ad ius reddendum teneatur: et praeterea fuga ſua efficient, ut alii conditione duriori impoſterum detineantur, ſi coeperit fides obſidum ſuſpecta eſſe. Sed, ſi illi, qui capti ſunt, fidem uictoribus dederunt, interpoſita conuentione; nemo dubitat, quin, iure gentium, elabi et fugere prohibeantur.

Certe uictor in elapſos, ſi eos comprehenderit, et in reſiſtentes, atque obluctantes, iure belli, atque internecionis etiam, uti non prohibebitur. Romani, obſides Tarentinos, ex Libertatis atrio, in quo negligentius cuſtoditi erant, clanculum elapſos, retraxerunt omnes, et deductos in comitium, uirgisque, approbante populo, caeſos, de ſaxo deiecerunt (b).

INVICTISSIMA RVSSORVM IMPERATRIX quidem Gallorum ſubſidiarias cohortes tanta magnitudine animi accepit, tam liberaliter tractatos dimiſit; ut gratulemur orbi terrarum uirtutem maximi exempli, quod gentibus etiam in poſterum prodeſſe poſſe uideatur.

(a) Grot. Jur. B. et P. L. III. c. 7. §. 6. et c. 14. §. 7. (b) Liu. L. 25. c. 7.

GENEROSISSIMO EQVITI

HIERONYMO FRIDERICO DE STAMMER

PRAESES

MAgna uis eſt VERITATIS et VIRTVTIS, quae, ſi TVLLIVM audias, contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, ſe ipſam facile defendit. Igitur uerecundiam TVAM multis laudibus non onerabo. Sed publice tamen interfuit, TE effigiem ingenii TVI, hoc libello, quem compoſuiſti, et proxime defendes, expreſſam relinquere: ut alii rariſſimo exemplo concitentur, ad ſtudium doctrinae et uirtutis: ad quam conſequendam ILLVSTRIVM MAIORVM imagines, et nobilis ille ardor ingenii TVI, TE accenderunt. Quapropter non fuit, cur huic TVO opuſculo a me color aliquis induceretur. TE quidem DEI immortalis prouidentiae, cuius nutu diuina et humana omnia reguntur, non ſolum TVI, ſed etiam reipublicae, et poſteritatis cauſſa, ſolicite commendo. Ceterum, ut FORTVNAM conſecteris, non neceſſe eſt: ipſa enim cupide TE exſpectabit, et ſectabitur, et illuſtrem campum aperiet uirtuti TVAE. Dici non poteſt, quantum commouear, dum animo et cogitatione illum proſpicio. Vale, EQVES GENEROSISSIME, et officio magnarum mentium ſtrenue defungere. Dab. Vitembergae Id. Decembr. Anno, quam ſalus parta eſt, CIↃ IↃCC XXXIIII

A611475807

Digitized by Google